

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0399

0397

0403

0393

0408

0388

0448

0348

0498

0298

0898

386

**Solitudinis sive deserti vel eremi descriptio, et ejus
latitudo, longitudo et sterilitas; et quomodo dicitur
quatuor modis patet ingressu.**

Solitudo illa vastissima, per quam de terra sancta ad montem Oreb transire oportet, nunc in hoc loco venit describenda. Notandum ergo, quod haec solitudo est pars Arabiae magnae. Sunt enim tres terrae sibi invicem junctae, quae dicuntur Arabiae. Primo mons Libanus et Antilibanus cum tota regione adjacente dicitur Arabia celsa, pro eo, quia terra illa thurifera est et abundant ibi arbores thuriferæ et alia odorifera. Et huic jungitur regio Traconitidis et Ituraea ab aquilone, quae sunt partes Galilaeae, Damascus vero meridie, quam ob causam Syria Damasci aliquotiens Arabia vocatur. Unde Areta rex Arabiae dicitur, qui tamen erat rex Damasci.

Secundo terra filiorum Moab et Ammon et regnum Seon regis Esebon cum regno Og regis Basan et totus mons Galaath et tota regio trans Jordanem dicitur Arabia secunda et conjungitur primae a parte australi.

Tertio. Ab illa incipit Arabia tertia, quae dicitur Arabia magna, et per latissimas solitudines protenditur a flumine magno Euphrate usque ad mare rubrum et ad Nilum flumen Aegypti. In hac Arabia contra orientem est Mecha, civitas detestabilis Machometi, et contra meridiem est mons Synai et Oreb. Et haec Arabia est latissima, continens solitudines magnas et vastissimas, diversas facientes provincias.

Latius tamen loquendo de Arabia secundum figurationem tabularum Ptolemaei possumus dicere, quod tota regio, quae alias nominatur Syria Damasci ultra Libanon est Arabia prima, et dicitur Arabia Damasci vel Syriae. Huic adhaeret ad austrum Arabia Petraea, quae est secunda. Ad hanc dependet Arabia deserta latissima, quae est tertia. Cui consequenter jungitur Arabia felix, grandis et nobilis patria, in qua est supra dicta civitas Machometi. Hae quatuor Arabiae latissimas includunt regiones et suis terminis mare magnum et sinum arabicum sive mare rubrum et sinum persicum contingunt, ac Nilum, Euphratem, Tigrim et Physon, quatuor paradisi flumina, tangunt.

Ende

Anfang